

obstante si aliquibus sit a praedicta sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdicti, seu extra certa loca per litteras apostolicas in causam trahi non possint, nisi plena et expressa de praedicta indulgentia et de toto tenore ipsius de verbo ad verbum in eisdem litteris mentio habeatur. Datum Anagniae XI. Kal. Octobris pontificatus nostri anno duodecimo.

P. Ver

†  
 aussen: † Godescalcus †  
 †

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Bleisiegel an hänfener Schnur.

### No. 177. 1254 29. Sept.

*P. Innocentius IV. verleiht dem Capitel für die nächsten drei Jahre das Privilegium, wornach dasselbe von keinem päbstl. Delegaten oder Subdelegaten ohne ausdrückl. päbstlichen Befehl mit der Excommunication, Suspension oder dem Interdict belegt werden kann.*

Innocentius episcopus servus servorum dei dilectis filiis capitulo ecclesiae Misnensis salutem et apostolicam benedictionem. Devotionis vestrae meretur sinceritas, ut vos gratiosa benivolentia prosequentes speciali vos privilegio honoremus. Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati vobis auctoritate praesentium indulgemus, ut nullus delegatus vel subdelegatus ab eo executor seu etiam conservator auctoritate litterarum sedis apostolicae vel legatorum ipsius possit in vos excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam promulgare absque speciali eiusdem sedis mandato faciente plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, praesentibus post triennium minime valituris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Anagniae III. Kal. Octobris pontificatus nostri anno duodecimo.

N. Gualt

aussen: Godescalcus.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Bleisiegel an rothen und gelben seidenen Fäden.

### No. 178. 1254. 1. Oct.

*P. Innocenz IV. beauftragt den Probst zu Naumburg dahin zu wirken, dass die vom Meissner Hochstift abgekommenen Besitzungen und Einkünfte in dessen Eigenthum zurückgebracht werden.*

Innocentius episcopus servus servorum dei dilecto filio . . praeposito ecclesiae Nuemburgensis salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii . . praepositus, decanus et capitulum ecclesiae Misnensis sua nobis petitione monstrarunt, quod tam ipsi quam praedecessores eorum quibusdam clericis et laicis, religiosis et secularibus quosdam redditus, domos, villas, maneria, prata, nemora, possessiones, terras, vineas et res alias eiusdem ecclesiae, quibusdam eorum ad vitam recepta ab eis exinde certa pecuniae quantitate, aliis ad non modicum tempus, aliquibus vero perpetuo ad firmam